



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 76. Inflatione Burgundis Ducis consilia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. hucusque in Ludovici Regis præjudicium
A.C. 1475. pepigisset, penitus ac integra fide nun-
 tium mittere velit, Demum mutuum al-
 terutrius inimicos repellendi pactum ini-
 tum, firmatumque est. Ludovicus novo
 hoc fœdere, atque induciis, quas nuper
 cum Burgundo ad novem annos sanxe-
 rat, ab externo armorum metu otium
 nactus erat, eo potissimum nomine, cum
 sibi nullum a Burgundi inconstantia pe-
 riculum imminere videretur; eoquod ille
 magnis in Germania tumultibus implic-
 tus, bellum adversus Helvetios pararet.

§. LXXVI.

Inflata Burgundiæ Ducis consilia.

Burgundiæ Dux totam ferme Lotharin-
 giam suis subjecisset armis, si Nanc-
 ejum occupasset; cumque optime sibi
 perspectum haberet, quod Ludovicus se-
 creto articulo pollicitus esset, sese Renati
 Ducis rebus nulla ope adfuturum, hac tem-
 poris opportunitate utendum ratus, fi-
 xum in animo, destinatumque habuit,
 suarum ditionum fines latius extendere,
 ac Gallorum, quibus clientelari obsequio
 obnoxius erat, jugum excutere, demum
 vero de Helvetiis vindictam poscere, eo-
 rumque Provincias occupare. Statuit
 etiam reliquam Sabaudia, ac Provinciae
 partem iis, quas jam possederat, urbibus
 adji-

adficere, suumque imperium Ducatu et-
iam Mediolanensi ac Neapolis Regno au-
gere decrevit. Verum ea, quæ vano
atque inani mentis somnio conceperat,
qua arte, qua ratione pertexere coepe-
rit, recenseamus, atque ab ipso Sabau-
diam subigendi consilio auspicemur.

§. LXXVII.

*Burgundus Filiam suam juniori
Sabaudiaë Duci in uxorem
dare pollicitus.*

Eo tempore Sabaudis imperabat Ama-
dæi IX. Filius, quem Pater ejus
morte præventus, adhuc puerum Jolan-
dæ de Francia Matris suæ, ac Ludovi-
ci XI. Sororis tutelæ commendabat;
Hæc erga Franciam, quamvis illa natale
ejus solum esset, omnem tamen affectum
ex animo suo ejecisse videbatur; forte
iniquius ferebat, quod Amadæo in uxo-
rem data patrios lares relinquere com-
pulsus esset, ut Carolinæ Sorori suæ lo-
cum cederet, quæ Ludovico XI. sociali-
bus vinculis juncta fuit: nisi fors dicere
possemus, adeo in ejus mente amorem
erga filium suum prævaluisse, ut is
omnem cujuscunque alterius affectus
scintillam restinxerit. Hanc ergo, ut sibi
devinciret, Burgundiæ Dux missis ad
eam Legatis, juveni Sabaudiaë Duci fi-
liam suam in futuram tori sociam obtulit.

M m 3

Ducissa

Sæcul. XV.
A.C. 1475.